

rarius integra vel circacircum leviter dentata, plerumque basi profunde dentata vel potius lyrato-pinnatifida; *caulina* fere omnia linearia, integerrima, sessilia, rarius unum alterumve radicalibus quoad formam simile, sed multo minus in inferiore caulis parte observatur. Flores corymbosi vel potius ramulos elongatos fastigiatos terminantes. Anthodium glabrum: *foliulis* omnibus simplicibus, i. e. nec ciliato-barbatis, nec corniculo auctis.

Haec *var. altatica* cum forma multicauli speciei antecedentis habitu non parum convenit, optime tamen dignoscitur colore totius herbae e nigricante viridi maxime glauco, floribus multo minoribus, corollulis in quovis anthodio paucioribus, anthodii foliulis omnibus glaberrimis, apice simplicibus, nec ciliato-barbatis, nec infra apicem corniculatis. Achenia insuper in hac specie versus apicem attenuata sunt, ita ut pappus substipitatus videatur, quod in *P. diversifolia* nunquam observatur.

An *Gmel. l. c. f. 1.* potius ad speciem antecedentem? — utrum diversa species hucusque ignota?

407. CHONDRILLA. LINN. (L.)

LINN. *gen. pl. ed. SCHREB. II. p. 528. No. 1235.* —

GAERTN. *II. p. 362. t. CLVIII. f. 7.* — LAM. *ill. t.*

650. *f. 1. 2.* — SCHKUR *t. CCXVIII.*

Anthodium oligophyllum, cylindricum, calyculatum, pauciflorum. Receptaculum nudum. Pappus pilosus, longe stipitatus: stipite basi squamulis paleaceis obvallato.

1. CHONDRILLA STRICTA. *m.*

Ch. caule basi hispido ramoso, foliis radicalibus obovato-runcinatis glabris; caulinis rameisque ovato-oblongis lanceolatisve integerrimis denticulatisve, ramis anthodiisque arachnoideo-tomentosis.

Ch. stricta. *Ledeb. lc. pl. Fl. ross. alt. illustr. t. 37.*

Chondrilla, *Gmel. Fl. sib. II. p. 8. No. 6. (excl. syn. omn.)*

Hab. in collibus apricis prope pagum Sogra (L.). Fl. Aug. 24.

Caulis 2—3-pedalis, erectus, strictus, rigidus, parum supra basin ad apicem usque ramis cauli similibus instructus, basi setis longis hispidis et insuper per totam longitudinem, praesertim vero apicem versus arachnoideo-tomentosus; florendi tempore inferne foliis emarcidis aphyllus, superne satis dense foliosus. Folia crassiuscula, rigida; *radicalia* obovata runcinata, basi attenuata, 5—6 pollices longa, 1½—2 poll. lata, glabra, glaucescentia vel potius pulvere aut pube tenuissima facile abstergibili tecta; *caulina inferiora* in planta juniore radicalibus similia, demum emarcida, quo magis a caulis basi remota sunt, eo magis integra et basin versus dilatata videntur; *media* ovato-oblonga, infra medium setis crassis subcartilagineis ciliata; *suprema* et *ramea* ovato-lanceolata vel oblonga, integerrima vel leviter dentata. Anthodii *foliola* tomento tenui albicante obtecta, minime vero hispida. Flosculi 10—12. Achenia apice muricata. Pappus pro more generis stipitatus: *stipite* pappo 3—4-plo breviori.

Succus resinoso-gummosus, quo tota planta scatet, ex inferiori caulis parte guttularum ad instar variae magnitudinis exsudatur.

Affinis *Ch. latifoliae* M. a Bieb., quae differt anthodii foliolis carina setis longiusculis patentibus, in nostra plane deficientibus, hispidis.

Synonymon *Gmel.* huc potius spectare videtur, quam ad *Ch. junceam*.

2. CHONDRILLA JUNCEA. Linn.

Ch. caule basi hispido ramosissimo, foliis radicalibus runcinatis; caulinis oblongo-linearibus integerrimis ramisque glabris, anthodiis glabriusculis, floribus subundenis (9—11), acheniis apice muricatis.